



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Christ. Francisci Paullini, Ferrariâ-Thuringi, Rerum Et
Antiquitatum Germanicarum Syntagma**

Paullini, Christian Franz

Francofvrti ad Moenvm, 1698

LIX. Johannes II.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44860

MCCCCXLIX. Professus Fuldensis. Primo electionis annò *Eversbergam* occupavit. Sequentè anno castrum *Urtzel*. Multas insidias, pericula & molestias fecerant ei adversarii, consilio tamen & auxilio divino omnia effugit, vicit & superavit. AD. MCCCCCLIII. hospitale ad *S. Leonard.* cœptum est. Ultimus Comes de *Zigenhayn & Nidda* moritur. Jacet *Hayna* in monasterio Ordinis Cisterciensis. Sic uterque Comitatus ad Landgraviū de *Hassia* venit. AD. MCCCCCLXVI. templum parochiale in *Fulde* cœptum est. Monasterium *S. Petri* in monte ad regulam S. P. N. B. reformatur. Sequentè anno opidum *Geys* occupat Landgravius de *Hassia*, sed cives nolebant fidelitatem juramento promittere. In senio suo AD. MCCCCCLXXII. Prælaturæ XXIII., cum consensu Capituli, Coadjutorem sibi fecit *Johannem*, Principem de *Henneberg*, quem diu tentaverat & probaverat in secunda & adversa fortuna. Supervixit adhuc quatuor annos. Moritur cum gloria AD. MCCCCCLXXVI. Prælaturæ XXVII.

LIX. JOHANNES II.

LIX.
Johann. II.

Ex antiqua familia Comitum de *Henneberg*, quos postea *Henricus* Imperator AD. MCCCX. die *S. Jacobi* Apostoli *Principes* fecit. Erat *Wilhelmi* hujus nominis IV. filius secundo genitus, AD. MCCCCXXXIX. in festo *Visitationis B. Mariæ*. In pietate, studiis & ludis equestribus bene educatus & exercitatus, maturiori ætate varias invisit regiones. Factus postea variarum Ecclesiarum Canonicus, *Maguntina*, *Coloniensis*, *Trevirensis*, *Argentinenfis*, *Papenbergensis*, in auctoritate magna ubique. Cùm ei vita monastica, specialiter Ord. S. P. N. B., placeret, magnam habuit amicitiam ubique cum Prælati, in specie *Reinharto* Fuldensi. Hic AD. MCCCCCLXVII. à Ministerialibus suis, & postea à Landgravio de *Hassia* bello lacessitus. *Johannem* de *Henneberg*, animosum juvenem, copiis suis præfecit, qui etiam Ecclesiæ Fuldensi opidum *Geys*. reddidit, hostesque validè cepit & profligavit. Sic familiarius cum *Reinharto* conversabatur, qui medullitus eum amabat. Factus nunc *Reinhartus* præ senectute debilis & torpidus, cum consensu omnium *Johannem*, Capitaneum antea suum, nunc Coadjutorem suum denominavit AD. MCCCCCLXXII. *Johannes* postea habitum sumit monasticum, vitamque militarem planè immutavit honestioribus moribus & magno pietatis zelo. Multi abusus infecerant Clericos: ille igitur totam Dioccesin reformare volebat, sed crabrones irrita-

(Ooo) 2

vit. (1)

vit. (1) Si quis unquam ex Archimandritis pius, zelosus, castus, liberalis, pudicus & diligens fuit, Johannes certè fuit, in omni virtutum genere splendens. Ecclesie suæ fideliter præest, subditos paternè amat, & prudenter singula facit. Omnia oppignorata & ab alienata, quantum in illo est, Ecclesie recuperat, cum primis Hamelburg cum decima vini ibidem. Summa: Abbas & Princeps est, Pater & Dominus, quem ego nunquam condignè laudabo.

(1) vid. Spangenberg. chron. Henneb. L.V.c.32. p.224.

T A B U L A

ABBATUM, INDICANS NOMINA, ANNOS ELECTIONIS, OBITUS VEL ABITUS, ET SESSIONIS CUJUSCUNQUE.

NOMINA	ANNELECT.	ABITVS VELOBITVS	SESSIONIS.
I. B. Sturmio	744	779	35.
II. Bangolphus	779	802 resignat	22.
III. Radgarius	802	817 depositus	15.
IV. Ægil.	818	822	5.
V. Rabanus	822	842 resign.	20.
VI. Hatto I.	850	856	6.
VII. Thiodo	856	869 depof.	13.
VIII. Sighartus	869	874 resign.	5.
IX. Hugo	874	913	39.
X. Helmefridus	913	916	3.
XI. Haicho	916	923	7.
XII. Hilpertus	924	927 resign.	3.
XIII. Hademarus	927	956	29.
XIV. Hatto II.	956	968 resign.	12.
XV. Wernerus	969	983	14.
XVI. Erckenbaldus	983	1011 resign.	28.
XVII. Brantho	1011	1018 depof.	7.
XVIII. Popo	1019	- - -	- -

XIX. Ri-